



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

XLVII. Quod religiosi non condant testamenta, nec liceat monachos  
monasteria habere ad firmam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

ANNO CHRISTI 1222.  
abbatem. Idem inter canonicos regulares & moniales volumus obseruari.

Prouideant etiam episcopi quod moniales in omnibus necessariis competenter sustentari possint de bonis monasterii, ne sustineant ultra numerum aliquam admitti: nec etiam suscipiatur aliqua, quousque redactæ fuerint ad numerum illum. Etiam hoc firmiter statuimus auctoritate Concilii generalis. Si autem contigerit aliquam de cetero contra hanc formam admitti, tam abbatissa quam priorissa deponatur.

Idem de magistris & prioribus moniales custodientibus, si contra hanc formam contingat aliquam admitti, duximus statuendum. Confiteantur etiam moniales sacerdotibus ab episcopo sibi deputatis. Clerici autem vel laici frequentem non habeant accessum ad claustra monialium sine causa rationabili.

XLVII.

Quoniam non licet viris religiosis aliquid proprium possidere, qui se & sua pariter in religionis ingressu Domino dedicarunt, præsentis auctoritate diffinimus, vt nulla persona in regulari ordine constituta condere testamentum præsumat, cum nihil habeat suum temporale, quod transferre valeat in dominium alienum.

Item nec monachus, nec canonicus ecclesiam vel monasterium, vel quodlibet prædium ecclesiæ suæ, audeat retinere ad firmam. Districte etiam inhibemus, ne alicui monacho, vel canonico regulari, qui non obedientialis, custodia monasterii com-

mittatur, ita quod ex longa ipsius mora vel conuer-  
fatione scandalum oriatur: quod si præsumptum  
fuerit, per superiorem emendetur.

Item viri religiosi non recipiant ecclesiam ad fir-  
mam, in qua sibi quid iuris vendicant, saltem post  
mortem personæ. Quod si fecerint, arbitrio supe-  
rioris puniantur.

Quoniam inter alia vitia impetus gulæ viros re-  
ligiosos præcipue non mediocriter infestat, decer-  
nimus vt nec monachi nec canonici regulares nisi  
statutis locis & horis potationi aut comestationi  
vacare præsumant. Si quis vero sitiuerit, impetrata  
licentia, refectorium regulariter intret, vt sic ne-  
cessitati subueniat, non vt consulat voluptati. Ab  
hac generalitate eximimus infirmos, & eos qui fue-  
rint in obsequio prælatorum.

Ad hæc statuimus vt, cum ratione debilitatis  
vel alia iusta ratione, monachi seorsum in miseri-  
cordia morantur, semper habeant secum ad minus  
alios seniores, qui aliorum leuitatem debita corre-  
ctione compefcant, & qui postmodum in capitulo  
testificentur, qualiter in misericordia fuerint con-  
uersati. Idem volumus inter canonicos regulares  
& moniales obseruari. Vt autem omnia sine bono  
concludantur, Lateranense Concilium sub sanctæ  
recordationis papa Innocentio celebratum, in præ-  
statione decimarum & aliis capitulis præcipimus  
obseruari, & in Synodis episcopalibus constitu-  
tiones illius Concilii vna cum istis, prout eis vi-  
debitur expedire, volumus obseruari.